



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

491. An, si pensio imposita beneficio jurispatronatûs sit immodiac, Patronatus possit excipere & petere, ut extinguatur, vel ad devitam quantitatem reducatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

ro. dicens, hoc concernere gratiam & favorem ipsius resignantis ac pensionarii respectivè contra resignatarium, ut allegare nequeat hanc reductionem, ejusque prætèxtu impedire regressum vel ingressum reservatum; sed debeat vel totam pensionem solvere, vel regressum hunc pati. monet autem idem Cardin. cit. n. 10. hoc ipsum non esse in odium talis pensionarii detorquendum, ita ut, si in minimo falsò narratus valor, pensio in totum deficiat, & sic titularis liberetur à solutione absque eo, quòd pari debeat regressum resignantis; siquidem rigorosa illa propositio: *qui cadit à syllaba, cadit à toto*; locum habeat in reservatione pensionis voluntariae, seu de consensu imposita beneficio pleno ob præsumptam fraudem & odibilitatem illius. subiungit etiam Tond. loc. cit. n. 47. saepe declaratum, non modò resignatarium, sed etiam resignatarium resignatarii ad pensionis solutionem astringi posse, non obstante reductione petita, & excessu allegato; limitat tamen hoc ipsum n. 48. nisi pensionarius fuisset negligens in exigendo pensiones decursas, & beneficium per plures & diversas manus transivisset, nullà factà in illius provisione mentione pensionis, quam successores probabiliter ignorassent. Etn. 49. nisi agatur de beneficio curato; eò quòd ejus possessore semper possit pensionis reductionem, vel totalem ejus cassationem petere, si non habeat unde vivat.

2. Quinimo si prætendatur & deducatur excessus pensionis ab initio, etiam si falsus valor fuerit expressus, non suffragari ad huc istam deductionem titularis, qui consensit, & propterea eum in vanum præterdere reductionem; tamen si ea deductio optimè suffragetur ejus successoris, cui non potest vitio verti, quòd non fuerit conquestus ab initio de enormi pensione, tradit Lott. l. 1. q. 42. n. 55. ex Staphil. tit. de infirmit. §. & est narrandum. n. 1. & 2. Item l. 1. q. 41. num. 38. ubi expressè: *in hoc casu* (nimirum ubi pensio reservata resignanti in individua quantitate, v. g. 50. ducatorum, & sub clausula: *& non aliàs, nec aliter*) non sustinetur pensio in statu excessivitate quasi contra justitiam; sed simpliciter denegatur actio titulari quasi proponenti de directo contraria, ex quo validitas ejus tituli pendet ex toto à validitate reservatae pensionis in ea quantitate, unde vel debet solvere vel dimittere beneficium resignatum; quia, dum petit reduci, concludit ad non consensum resignantis, & consequenter ad nullitatem totius gratiae, aperitque viam resignanti ad redintegrationem sui beneficii. citat pro hoc Lotterius Mantic. decis. 173. nu. 1. & Rotam decis. 631. n. 1. p. 1. recent. & fusiùs decis. 286. n. 2. p. 2.

Quaestio 490. An, & qualiter successor dicti resignatarii allegare possit excessum pensionis?

Respondeo: Quidquid sit de resignatario hujus primi resignatarii, seu successore illius per resignationem ab eo factam, de quo q. preced. ex Tond. successor illius resignatarii obtinens illud beneficium simpliciter à Papa ex vacatione illius per mortem, potest allegare dictum excessum ab initio, sufficitque illum inententem actionem super libertate beneficii (ad modum illius negotiorum, quæ domino vel possessori fundi secundum terminos juris civilis competit adversus possessorem servitutis) negare veritatem narrati valoris, ut pensionario volenti sustinere pensionem incur-

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

bat onus perfectæ & concludentis probationis; quæ non facta, pensio corrumpitur in totum, neque sustinetur in parte. Card. de Luc. de pens. d. 11. nu. 3. qui etiam n. 4. id verum esse asseruit, etiam si in reservatione pensionis ex causa resignationis accesserit consensus titularis (nempe istius primi & immediati resignatarii) quia iste consensus isti consentienti præjudicat, non autem successoris, utpote suum jus directè & immediatè metienti à Papa independentè à prædecessore, quemadmodum idem tradit Lott. l. 1. q. 41. n. 38. ut vidimus q. precedente, quorum similia habet l. 1. q. 43. n. 6. ubi: quòd etsi consensus titularis liberet pensionarium ab onere probandi narratum valorem, id tamen se non extendat ad successorem, ut pluribus ibi ostendit. Verùm de his plura infra, ubi de obligatione pensionarii. Illud hic obiter notandum, hinc videri sequi, in hoc casu non subsistere, quod aliàs asserunt AA. Paris. l. 6. q. 2. n. 59. & 66. allegantem, quòd pensio excedat medietatem, debere id probare.

Quaestio 491. An, si pensio imposita beneficio juris patronatus sit immodica, patronus possit excipere & petere, ut extinguatur, vel ad debitam quantitatem reducatur?

Respondeo affirmativè Azor. p. 2. l. 8. c. 8. q. 2. citans Gig. q. 24. n. 12. nimirum, ut ait, si id noceat Ecclesie.

Quaestio 492. A quo faciendà reductio?

1. **R**espondeo primò: Dum tractu temporis Rob diminutionem fructuum non remanentibus amplius 100. Rectori, vel etiam ob eandem rationem non remanente amplius medietate, ad quam, usque facta reservatio pensionis, faciendà reductio, poterit ea fieri per Ordinarium, etiam si pensio fuerit reservata auctoritate Papæ, nisi in litteris ad sita consula: quòd pensio non possit annullari, reduci seu minui; quia tunc requiritur Papæ commissio. Garc. §. 1. c. 5. nu. 401. & 402. Ventrigl. to. 2. annot. II. §. 1. n. 48. citans Gig. conf. 147. Staph. de lit. Just. tit. de commiss. super reduct. pens. n. 7. & seq.

2. Respondeo secundò: quando à principio fuit pensio excessiva reservata per Papam, & ea ad petitionem successoris illius, qui conferat tali pensioni (& cui proinde soli ea præjudicabat, ut dictum binis quest. preced.) reducenda, fieri ea non potest per Ordinarium, vel per Legatum, vel alium judicem, nisi ex speciali rescripto. Garc. loc. cit. & n. 369. citans Gamb. de pot. leg. l. 6. n. 708.

3. Respondeo tertio: intelligenda hæc sunt respectu titularis, seu debentis solvere pensionem, quòd ejus solà voluntate pensio diminui nequeat. de pensionario namque tradunt Lott. l. 1. q. 43. citato Gig. de pens. q. 99. n. 8. Item Corrad. pr. benef. l. 5. c. 3. n. 9. quòd sicut solà ejus voluntate cessare potest vel remitti pensio absque licentia Papæ, ita etiam multò magis possit minui ejus quantitas; cum in quantitate illa sic imminuta conferretur idem jus, nec propterea censeatur diversa, sed eadem prorsus, quæ priùs reservata est pensio, ut Rota in Parmensi pensionis 17. Julii. 1622.

4. Respondeo quartò: verumtamen, dum in reservatione pensionis de cõsensu, seu ex causa lucrativa (sic dicta, quia reservatur auctoritate Apostolica, de consensu tamen titularis seu possidentis beneficium ita volentis alicui tertio, v. g.

X 2

ut is